

## ESSENTIA ANTIHYSTERICA.

**Rx** Castorei, ana unciam semis.  
 Assæ foetidæ, ana unciam semis.  
 Oleorum essentialium Sabinæ,  
 Rutæ, ana drachmam semis.  
 Olei succini, drachmam unam.  
 Camphoræ, scrupulum unum.  
 Spiritûs vini rectificati, uncias decem.

Digere Balneo-maris per tres quatuorve dies. Distilla eodem Balneo. Materiæ superstiti affunde spiritum elicatum, addendo

Spiritûs Cornu Cervi suo sale volatili facti,  
 uncias duas.

Iterùm distilla ferè ad siccitatem. Liquorem distillatum serva ad usum.



## SPIRITUS ACIDI.

## SPIRITUS ACETI.

**Rx** Aceti acerrimi, libras octo.  
 Mitte in cucurbitam vitream capitello & receptaculo instructam. Distilla ex arenâ partem tertiam ( quæ phlegma est ) seorsim servandam. Ulteriùs distilla, & prodibit spiritus. Ab operatione cessabis, ubi stillans liquor empyreumaticum odorem spiraverit.

## SPIRITUS MELLIS.

Vide *AQUA MELLIS*,

## SPIRITUS ET OLEUM TARTARI.

**Rx.** Tartari contriti, quantum volueris.  
 Inde retortæ capaci amplo instructæ receptaculo. Igne leni distilletur phlegma, donec nubeculæ albæ prodeant. Phlegmate abjecto, restituto receptaculo, commissuris luto obleratis, urgeatur ignis ad summum gradum, ut oleum exeat. Cessante omni distillatione vasa refrigescant. Oleum à spiritu chartæ vel panni operâ depone. Spiritum igne arenæ rectificata in cucurbitâ vitreâ.

Materia à distillatione superstes loco venire potest Tartari calcinati ad confectionem salis Tartari.

## SPIRITUS ET OLEUM VITRIOLI.

**Rx.** Vitrioli viridis ad albedinem calcinati, quantum volueris.  
 Inde retortæ loricatæ unâ tertiâ capaciori. Colloca in furno. Aptetur receptaculum amplissimum. Tum distilla igne primùm leni, & prodibit phlegma; quo elicito, commissuræ obserentur. Dein continuetur distillari acriori igne, tandem acerrimo. Post duos aut tres dies finietur operatio. Liquor elicitus rectificetur igne arenæ. Qui prodibit liquor, spiritus est; superstes in cucurbitâ, oleum.

AQUA RABELLIANA,  
 VULGO *de Rabel.*

**Rx.** Marcaffitas Passiacas, vel alias ferreo-vitriolicas, quantum volueris.  
 Inde in ollam ferream. Affunde aquam ferventem ad supereminentiam quatuor digitorum. Bulliant per semihoram agitando. Tum marcaffitas cochleari cribrato exime; decoctum decanta, & serva. Exemptas marcaffitas mitte in fictilia, & in aprico diu noctuque expone, & cum dehiscere incipiunt, eas asperge identidem decocto superiùs asservato: cum verò in pulverem abierint, fiat lixivium per pannum aut chartam transcolandum. Ex hujus evaporatione exurget sal vitriolicum per retortam dis-

SALUB. FACULTATIS PARIENSIS. 203  
cillandum instar olei vitrioli. Elicitum oleum cohoba super sal  
ex colcothare seu capite mortuo distillationis extractum, & iterum  
spiritus vini rectificati duplo edulca circulando in vase idoneo.

### SPIRITUS ET OLEUM SULPHURIS.

Esto vas fictile vitratum, amplum & capax, ex cujus me-  
dio assurgat fulcrum. Tum

**Rx** Sulphuris communis virescentis, quantum volueris.  
Divide in frusta oblonga, & mitte in vas expansum.  
Vas pone super fulcrum. Accende sulphur. Desuper suspen-  
datur campana vitrea, vel vitreum infundibulum inversum,  
ita ut liber aëri pateat aditus. Ascendet spiritus, & stillabit in  
vas subjectum. Absumpto sulphure, novum in frusta divisum  
sufficiatur. Procede ut supra, donec spiritus optatam quanti-  
tatem obtinueris.

Nota. Felicius udo cælo opus succedet.

### SPIRITUS ET PHLEGMA ALUMINIS, ET ALUMEN USTUM.

**Rx** Aluminis Romani, libras quatuor.  
Mitte in cucurbitam fictilem capitello & receptaculo,  
obseratis commissuris, instructam. Distilla igne arenæ. Prodi-  
bit phlegma ad usus servandum. Extractam è cucurbitâ massam  
superstitem, pulveratam inde retortæ fictili capaci, receptaculo  
amplissimo aptato, & commissuris obseratis, distilla igne pri-  
mum leni, per gradus augendo ad vehementissimum, in furno  
reverberii, per tres dies continuandum. Vasis refrigeratis exemp-  
tum spiritum rectifica, & serva.

Materia in fundo retortæ superstes, alumen ustum erit;  
quod etiam ex alumine crudo igne nudo calcinato obtinebis.

### SPIRITUS NITRI.

**Rx** Nitri purissimi, triti, libras duas.  
Argillæ exsiccatae & pulveratae, libras sex.  
Mixta inde in retortam terream capacem, luto obductam.  
Cc ij

Ignē leni primū phlegma elice, quod abjicito. Receptaculum capacius adapta, & ritē oblera. Urgeatur ignis ad tertium gradum: post aliquot horas ad quartum. Elapsis horis quatuordecim, receptaculum tepescet, & nihil ampliū prodibit.

Spiritus Nitri valentissimus alio modo obtineri potest.

**Rx.** Nitri purissimi, partes quinque.  
Pulveratis, & retortæ vitreæ immixtis superfundantur  
Olei vitrioli, partes quatuor.

Excipulum statim adaptatum benè muniatur. Deindè ex arenâ, igne gradatim aucto, distillatio instituat, donec nullæ ampliū guttæ stillent. Spiritus excipulo contentus est spiritus Nitri valentissimus, quo cum olea essentialia Cinnamomi, Caryophyllorum, permixta vehementer ebulliunt & flammam concipiunt. In vase benè clauso asservandus est.

Sal in retortâ residuum, aquâ solutum, & ritē crystallisatum, à Tartaro vitriolato parū discrepans videtur.

#### SPIRITUS NITRI DULCIS.

**Rx.** Spiritus Nitri, uncias sex.  
Spiritus vini rectificati, uncias duodecim.

Funde paulatim in retortam vitream capacem, receptaculo amplissimo ritē oblerato instructam. Digere per viginti-quatuor horas, dein distilla ex arenâ ad siccitatem, igne primi gradus, & obtinebis spiritum summè volatilem, odoratissimum.

#### SPIRITUS SALIS COMMUNIS.

**Rx.** Salis communis exsiccati & pulverati, libras duas.  
Argillæ exsiccatæ & pulveratæ, libras octo.  
Simul mixta indè retortæ capaci. Distilla ut de spiritu Nitri habetur.

Hâc ratione parva spiritus salis quantitas obtinetur.

At longè uberior & longè valentior spiritus salis extrahitur hoc modo.

**Rx.** Salis communis, uncias sexdecim.  
Olei vitrioli, uncias octo.

Fiat deindè per retortam vitream ex arenâ distillatio salis ad

ficcitatem. Spiritus in vase accuratè obturato seruetur.

Massa salina in retortâ residua, igne aperto, in crucibulo calcinetur, donec nullos fumos edat, aquâ limpidâ dissolvatur, & crySTALLISETUR, salem exhibet mirabilem Glauberi.

## SPIRITUS DULCIS SALIS.

**R̄** Spiritus salis, unciâs quatuor.  
 Spiritus vini rectificati, unciâs octo.  
 Distilla ut de spiritu Nitri dulci habetur.

## AQUA FORTIS.

**R̄** Vitrioli viridis ad albedinem calcinati, ana quantum volueris.  
 Nitri purissimi, ana  
 Seorsim trita & mixta simul, inde in retortam capacem lorricatam, receptaculo amplissimo instructam, obseratis commissuris distilla igne reverberii per gradus. Intra duodecim horas finietur operatio.

## AQUA REGIA.

**R̄** Salis Ammoniaci, unciâs quatuor.  
 Spiritus Nitri, libram unam.  
 Misce in matratio capaci, digere igne arenæ ad integram Salis Ammoniaci dissolutionem. Decanta.

## MERCURIUS LIQUIDUS.

**R̄** Mercurii spiritu Nitri dissoluti, unciam unam.  
 Mitte in vas vitreum. Affunde  
 Aquæ communis, unciâs viginti-quatuor.  
 Post aliquot horas filtra ad usum.

## SPIRITUS, SAL VOLATILE ET OLEUM SUCCINI.

**R.** Succini flavi contriti, quantum volueris.  
 Inde retortæ terreae aut vitreae loricatae capaci orificiique amplioris; adapta receptaculum amplissimum. Distilla igne primùm leni, & phlegma stillabit: auge sensim ignem ad tertium gradum; spiritus, sal volatile & oleum prodibunt. receptaculum agita, ut concretum & parietibus receptaculi hærens sal ( additâ, si lubet, aquâ ) colligatur & dissolvatur. Oleum à spiritu per chartam bibulam priùs aquâ madefactam separetur. Spiritum sale imbutum in cellâ reponere: crescent crystalli, à liquore, qui Spiritus nuncupatur, separandæ. Oleum quod rufescens est vel nigricans rectificatur mixtum cum ossibus ad albedinem calcinatis, & distillatum secundùm artem. Quod prodibit primum oleum, erit album, dein flavum, postremò rubrum. Singula dum procedunt excipe & serva.

*Simili modo distillari potest  
 Gagates.*

## SPIRITUS ET OLEUM GUAYACI.

**R.** Scobis ligni Guayaci, quantum volueris.  
 Inde retortæ capaci, adapta receptaculum amplum. Distilla in reverberio, primùm lento igne; phlegma prodibit, quod rejiciendum; postea obseratis commissuris, ignem urge ad ultimum gradum, donec nihil amplius extillet, & pelluceat receptaculum. Vasis refrigeratis, oleum nigrum à spiritu separa per chartam emporeticam priùs aquâ madefactam. Utrumque separatim rectificabis.

*Simili modo distillantur*

Buxus,  
 Juniperus,  
 Papyrus,  
 Tabacum,  
 Fuligo.